



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 1. Nomen Galliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

In Monte *Cauno*, vulgo *Moncayo*, si oues pascantur ante solis ortum procul dubio intereunt. *Historia Hispanica*.

In quodam huius Regni agro lapides reperiuntur, eiusdem coloris, & magnitudinis cum oleis. Item & alij, quos natura in co-tornices sic efformauit, ut arte elaboratas iurares. *Ioan. Eusebius*.

Villile in Cæsaraugusta Diœcesi Campana mirabilis sponte sonans quoties res Christiana accepit aliquid detrimenri. Cuius rei multa in actis publicis consignata sunt testimonia. *Varius lib. 2. de fascinatione cap. 14. & Mariana Hist. lib. 21.*

Apud oppidum *Olianam* ad Sicorim ædes virginis quam *Castel Vedrensem* dicunt, ad quam quotannis mense Martio die Veneris aliquo, ex Insulâ quam Fl. Sicoris efficit, exsurgunt tria lumina-ria cærulei coloris, basilicam subeunt per fenestras, accendunt lu-minaria, & functa suo munere egrediuntur, atque disparent. Quot indigenæ tot testes. *Ioan. Nierembergius*.

LIBER SEXTVS.

De Gallia Antiqua.

DOMANORVM, atque Græcorum terror Gallia, & cuius incolæ nihil aliud reformidarunt quam ne cælum in ipsis rueret, huic libro materiam sufficiet.

CAPVT PRIMVM.

De Gallia in communi.

HIC agemus de Nomine Galliæ, Quantitate, Qualitate, Mo-ribus, Mercibus, Linguâ, Religione, Politia, primâ deni-que eius diuisione.

§. 1. Nomen Galliæ.

PRÆTERMITTO hîc quæ habet fabulosa Robertus Cænalis, dum *Gallos* deducit à voce Armeniacâ *Gallim* quæ inundationem sonat: & dictum esse putat Noënum *Gallum* quasi ab inundatione seruatum. Certè Xenophon in æquiuocis ait atavum Nini à Ba-byloniis Gallum appellari.

Sf

Primo igitur aliqui apud Isidorum deducunt Gallorum nomen à Græco γάλα lac, quoniam lactei sunt coloris, si cum Italos comprehenduntur.

Secundo Diodorus Siculus à Galathâ Herculis filiâ nomen hoc elicit.

Tertio Timagenes apud Ammianum Marcellinum lib. xv. ait Gallos, seu Galatas nuncupatos esse à Galathâ quadam, quæ fuit mater Celti, subditis suis carissimi, ex quo & Galli dicti sunt Celtæ.

Quarto Appianus in Illyricis, ait appellatos esse Gallos, à Gallo filio Polyphemi, qui ex Galatheâ tres filios suscepit, Celtum, Gallum & Illyricum.

Quinto Grammatici quidam Veteres volebant *Celtas* nomen accepisse à Græco οὐλῆται Equites, & οὐλητῖς equum agito, quod ex equis optimè depugnarent.

§. 2. Quantitas Gallia.

LONGITUDO eius attenditur apud Strabonem à *Veneris Templo* in ultimo Pyrenæo ad *Vari Fl. ostia*, quæ distantia à quibusdam apud eum est 2600. stadiorum, aliis 2809. Ipse ex viâ publicâ hanc dimetens, dat ei 277. Millaria, hoc est 2216. stadiorum. Apud Ptolemaeum verò desumitur ex *Gob. eo Promontorio longit. G. 15. M. 15. latit. 49. M. 45.* ad Montem *Adulam*, long. G. 29. M. 30. latit. 45. M. 20. quod spatium ad maiorem circulum reuocatum dat 5200. stadiorum, seu Mil. 620.

LATITUDO desumitur ex prædicto *Veneris Templo* lat. 42. 20. Mil. ad *Rheni Orientale ostium*, Grad. 11. min. 40. hoc est stadiorum 2960. aut Millarium 370. Ex Strabone nihil certi de eâ colligi potest.

§. 3. Qualitas Gallia.

IN genere tota Regio humidior est; cuius causam Seneca lib. 3. nat. quæst. in humorem cæli refundere videtur: Strabo in fluvios quibus alluitur, ποταμοῖς καπιδόρροις οἱ χρέει. Non esse nimium frigidam innuit Iulianus Imperator: quare quæ leguntur de eius frigore ad Belgicam referenda sunt. Ventosam quoque facit Seneca, sed potissimum in eam sœuire ait Circum, cui templum